

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XIII. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

sanavit. Corde suo benedicto, mundum dilexit, Joh. 3. v. 16. Imo toto in corpore nullum membrum fuit, quod non percussum, afflicto, vulneratum & attritum fuerit, quo livore ejus sanaremur, Esa. 53. 5.

Quid igitur est, quod debuit ultra nobis facere, quod non fecerit? Esa. 53. 4.

Considerate opus miraculose ejus providentia, & gubernationis? quomodo mirificet sanctos suos, Psal. 4. v. 4. per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, 2. Cor. 6. v. 8. ut tamen Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. 28.

Id probant exempla Josephi, Davidis, Jobi, Gen. 50. v. 20. 1. Sam. 18. & seqq. Job. 1. v. 42.

Hoc etiam nostrum solatium esto in hoc mundo! Dominus omnia bene fecit, ideo & porro faciet, neque nos patietur tentari, supra id, quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13.

sed eripiet & glorificabit, & ostendet salutare suum, Psal. 91. v. 15. 16. Nempe in vita aeterna, ubi verificabitur: Ecce omnia facio nova! Act. 21. v. 1. Bene facio cum corporibus, prae claritate enim coruscare debent, 2. Cor. 15. v. 41. Bene facio cum animabus, plenae enim sapientiae erunt. 1. Cor. 13. v. 10.

Confide igitur, mi Christiane! Christus enim ex morte quoque bonum quid elicuit, ut illa non perditio nobis sed lucrum futura sit, Phil. 1. v. 21. nobisque fores pandat ad regnum caelorum, Joh. 5. v. 24. ubi non amplius moriemur, sed in aeternum vivemus, Sap. 5. v. 16. & fulgebimus ut firmamentum, Dan. 12. v. 3. imo, velut Sol in regno Patris in aeternum, Matth. 13. v. 43.

Fiat id per Christum JESUM, Salvatorem nostrum, Amen.

* * *

Dominica XIII. post Trinitatis.

Evangelium Luc. 10. v. 23. --- 37.

EXORDIUM.

Quando Sapientissimus Regum Salomo Deo Israelis templum exstruit, inter alia idem fenestris quoque ornavit, quae fuerunt *perspicuae clausae*, sive interius amplae, exterius vero angustae, 1. Reg. 6. v. 4.

Hae mystice intelligenda veniunt.

Templum Salomonis *trifariam* distinctum fuit. In frontispicio fuit *atrium*, quod cuique accedere licuit. Deinde sequebatur *Sanctum*, in quo cultus divinus perficie-

batur, & tertio *Sanctum Sanctorum*, quod nemini ingredi concessum, nisi summo Pontifici, & quidem anniversarie semel tantum, nec sine sanguine.

Sic etiam Numen divinum *habitationi hominum triplicem locum* definivit.

1. *Mundum*, hic quasi *atrium* est, in quo boni & mali permixti sunt. Deus enim fecit homines, quasi pisces maris, & quasi roptile non habens principem, Hab. 1. v. 14. Interea caeli enarrant gloriam Dei, Psal. 19.

Sf

v. 28.

v.2. qui ratione sua recte uti vult, facile hinc invisibilia Dei intelligere potest. Rom. 1. v. 20.

2. *Ecclesiam*, quæ vocatur *sanctum*, in quod per baptismum suscipimur, & deinde paulatim per verbum & Sacramenta præparamur, Ephes. 4. v. 12. ut idonei fiamus in partem sortis sanctorum, in lumine, Col. 1. v. 12. nec amplius hospites & advenæ, sed cives sanctorum, & domestici Dei vocemur, Eph. 2. v. 19. abluti, sanctificati & iustificati, in nomine Domini Jesu, & in spiritu Dei nostri, 1. Cor. 8. 11.

3. *Cælum*, quod est *Sanctum sanctorum*, quia sanctissimus Deus ibi habitaculum suum habet, Esa. 66. v. 1. *Deinde & ideo*, quia Christus, qui est Sanctissimus, merito id nobis suo acquisivit, Dan. 9. v. 24. *Tertio*, quia nihil immundum, aut abominationem faciens, intrabit in illud, Apoc. 21. 26. *Eta.* 60. v. 21.

Quod si igitur illud aliquando introire volumus, id per atrium fieri debet, h. e. in mundo, qui totus in maligno positus est, ante multas molestias sustinere, ejusque purgamentum & peripsima fieri cogimur, 1. Cor. 4. v. 13. Opera quoque danda est, ut vera Ecclesiæ militantis membra simus, cum Paulo bonum certamen certantes, 2. Timoth. 4. vers. 7. Ante omnia vero fidem & bonam conscientiam habeamus, 2. Tim. 1. 19. si in triumphante Ecclesia, quæ in cælo est, suscipi velimus. Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit, 2. Tim. 2. v. 5.

Quemadmodum vero Salomonis templum ejusmodi fenestris instructum fuit, quæ extrinsecus angustæ, intrinsecus vero latæ erant, ut commodius ex eo prospici, quam introspecti potuerit: sic hoc ipso in-

dicata fuit, *imperfectio cognitionis Dei, & articuloꝝ fidei*, quæ nobis in verbo Dei proponuntur; Ex parte enim cognoscimus. Videmus quidem, sed quasi per rimam, per speculum in ænigmate, 1. Cor. 13. v. 12.

Quando vero eo pervenimus, *fenestra erunt latæ & amplissima*. Claritas enim Dei illuminabit nos, Apoc. 21. v. 23. Ut visuri simus, quæ oculus non vidit. 1. Cor. 2. v. 9. 2. Cor. 3. v. 14.

In prælecto Evangelio, Servator discipulos & Apostolos suos, præ regibus & Prophetis V. T. beatos prædicat, quia eum in assumpta carne videbant, quod illi quidem vehementer desiderarant, at non consecuti fuerant. Verum nudus aspectus non salvat, fecus enim Herodes quoque, Pilatus, Caiphas & omnes impii Judæorum salutis compotes facti fuissent, qui tum temporis Christum viderunt miracula patrantem, Act. 10. v. 38. Verum fundamentum fides est, & *quasi spiritalis oculus*, quo Christus videtur. Sancti Patriarchæ *extrinsecus introspererunt*, & miro venturi Messias desiderio flagrarunt: Nos vero *intrinsecus prospicimus quomodo* Messias in carnem venerit, & opus redemptionis præclare & potenter absolverit. Hæc magna prærogativa est, quam præ Patriarchis V. T. habemus. Interea tamen unus est Christus, quem pii Patriarchæ flagranti desiderio expectarunt, Gen. 49. v. 17. Apostoli oculis perspexerunt, & manibus contrectaverunt, 1. Joh. 1. v. 1. nos vero diligimus, & fide apprehendimus, licet non videamus, 1. Pet. 1. v. 8. Hoc erat decretum Concilii Hierosolymitani: *Credimus per gratiam Domini nostri Jesu Christi, Act. 15. v. 11.*

Nos ad enodationem Evangelii digredientes, discemus ex eodem:

I. Ανθρωπολογία sive notitiam nostri.

II. Χριστολογία, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegesis.

Inter omnia Evangelia duo cum primis excellunt, quorum alterum agit de muliere Cananaea, alterum de Samaritano, qui faucium, & semi-occisum hominem respexit, & beneficiis suis adjuvit, siquidem B. Lutherus de hoc postremo scribit, quod adeo ferax sit doctrinarum & consolationum, ut vel totus annus explicationi ejusdem impendi debeat.

Ad notitiam nostri, ex hoc Evangelio pervenimus, si spectabimus :

1. De prae-dicatione Apostolorum felicitatem.

Conversus enim Jesus ad discipulos suos seorsim dixit: Beati oculi, qui vident, quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetae & Reges voluerunt videre, quae vos videtis, & non viderunt; & audire, quae auditis, & non audierunt.

Christus diligentissimus erat Concionator, qui non modo ipse circumibat totam Galilaeam, docens in Synagogis eorum, Matth. 4, 23. Sed juxta duodecim Apostolos & septuaginta discipulos habebat, quos ablegabat in omnes civitates & pagos, quos invisere sibi proposuerat. Hi jam remeantes nunciabant Christo, quanto cum successu verbum praedicassent & miracula patrascent. Propterea optimus Servator gaudio exultans, non modo gratias agit patri suo caelesti: sed & discipulos beatos depraedicat, quod ad tempus N. T. vivi pervenerint: habuisse idem in votis Patriarchas & Prophetas V. T. sed eventum votis non respondisse, defunctos esse juxta fidem, non acceptis re-promissionibus, Heb. 11, v. 13.

Hic te examini subijce, mi Christiane! an salutem tuam in solo Christo, an vero in terrenis rebus, debito studio quasi veris?

Unus atque alter, quando Evangelium hoc legi audit, secum forsitan cogitat: Utinam & ipse tempore Christi vixissem, & nullis sumtibus pepercissem, modo formosissimam faciem Servatoris intueri, & verba vitae ex ore suavissimo ejusdem mihi audire licuisset! Sed noli contristari, mi Christiane! Adhuc hodie tu conspicis Servatorem tuum, oculis cordis, per veram fidem in verbo & Sacramentis: audis verba ejus salvifica in omnibus concionibus, id majoris aestimandum est, quam si eum in diebus carnis oculis corporis vidisses. Beati enim qui non vident, & tamen credunt, Joh. 20, v. 29.

Ne itaque contristemur, quando hodie Christum corporaliter neque videre, neque audire possumus, non enim propterea exclusi sumus à salute. In scriptura enim imaginem ejus habemus, in qua videre possumus quales oculos habeat, nimirum oculos benignos, quibus respicit metuentes se, Psal. 33, vers. 18. cernere possumus, quales habeat aures, nempe benevolas, quibus respicit in orationem humilium, Psal. 102, vers. 18. Spectare possumus, qualia labia habeat, videlicet, in quibus gratia diffusa est, Psal. 45, v. 43. ex quibus verba vitae stillant, Joh. 6, 68. dulciora super mel & favum, Psal. 19, 11. Conspicere possumus, quales manus habeat, nempe omnipotentes & miraculosas, quae ab initio terram fundarunt & coelum, Heb. 1, vers. 10. & adhuc hodie omnes creaturas conservant, ut in eo vivant, moveantur & sint, Actor. 17, vers. 28. Contemplari denique possumus, quales pedes habeat, nempe celeres pedes fidelibus subveniendi in calamitatibus; Prope enim est

Dominus omnibus invocantibus eum, Pf. 145. v. 18. 19.

Quoties igitur Scripturam sacram legimus, audimus, meditatur, toties videmus & audimus Christum, illæ enim sunt, quæ testificantur de eo, Joh. 5. v. 39.

Hanc summam beatitudinem reputamus qua frui in hoc seculo possumus. Mundus enim transit, & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Alias verum est, quod olim sapientissimus Solon dixit:

Dicique beatus

Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

Filii quidem hujus seculi beatos se censent, quando in omnium rerum affluentia vivunt; senescunt illi confortatique divitiis. Hiob. 21. v. 7. & seqq. Hæc si habere possunt, felices se deprædicant, dicentes: Beatum populum, cui hæc sunt, Psalm. 144. v. 15.

Sed ô vanissimam beatitudinem! quæ similis est sepulchris dealbatis, quæ foris apparent speciosa, intus vero sunt plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia, Matth. 23. v. 27. Sic horum via complanata est lapidibus, Sir. 21. v. 11. & magna in hoc seculo autoritate pollent: sed finis interitus est, Phil. 3. v. 19.

Propterea operam demus, ut nos ab hoc seculo immaculatos custodiamus, Jac. 1. v. ult. & quæramus in Christo salutem nostram, qui salvat populum suum à peccatis suis, Matth. 1. v. 21. Quæramus quæ sursum sunt, ubi Christus est. Col. 3. vers. 1. & 23.

II. *Scriba insurgentis temeritatem. Ecce! enim, Legis peritus quidam surrexit, tentans*

illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?

Hæc quæstio magni momenti fuit, quam si bona intentione protulisset, nullam reprehensionem mereretur, sed nostrum potius foret, eo omnes nervos intendere, ut vitam æternam indipisceremur: hæc enim destinatus scopus est, ad quem currimus, Phil. 3. v. 14. est corona, propter quam certamus, 2. Tim. 4. v. 7. est finis fidei quem omnes intendimus, 1. Pet. 1. v. 9. Sed hypocrita erat, instituitque quæstionem hanc non discendi, sed tentandi gratia. Strucbat enim Christo insidias, ut si aliam viam ad regnum cælorum ostenderet, quam legem Moïsi, Christum ut contemptorem Moïsi traducere possit, qui gentem subvertat à lege, sicut postea publice accusatus est, Luc. 23. v. 2.

Hic quilibet probet se, Annon & ipse quando vitam æternam pro joco habuerit, aut ex animo idem crediderit, & serio studio illud inquisiverit?

Inveniuntur irrisores, qui vitam æternam non magnopere curant, sed terrenam felicitatem ei præferunt. Id vita eorum prophana probat. Quod si enim ex animo crederent, aliam post hanc vitam futuram esse, fidem suam in bonis operibus demonstrarent, & vitam æternam quærerent, Rom. 2. v. 7.

Hi dæteriores multo sunt Scriba hoc, qui vitam æternam confitetur, hoc saltem ignorans, quomodo ad eam pervenire debeat. Ideo dic suprema exsurgit, & ejusmodi Epicureos accusabit, qui toties ex scripturis admoniti, omnem fidem abjecerunt, & nihili fecerunt. Horum damnatio justa est, Rom. 3. 8. Servus enim, qui cognovit voluntatem Domini sui, &c. Luc. 12, 47.

Noë

Nos omni dubitationi renunciantes, dicamus cum Jobo: Scio, quod Redemptor meus vivit, Job. 19, 25. seqq. Sed & opera navanda nobis, ut rectæ viæ insistentes non per *facere* aut *Opera*, ut hic Scriba: sed per fidem in Christum eò tendamus.

Sunt facta nostra perditâ
Scipendium iracundia.

Es ist mit unserm Thum verlohren/
Verdienen doch nur eitel Zorn.

Christus verò via est, Joh. 14, 6. & scala Jacobæ, quæ cælum adscendere & in vitam æternam pervenire valemus, Gen. 28, 12. Nostrum est, verâ fide ipsum apprehendere, & cum Jacobo dicere: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Gen. 32, 26.

Hæc doctrina consolationis feracissima est. Quomocunque enim in hoc mundo nobiscum agatur, scimus tamen, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, Rom. 8, 18. Ideoque animas nostras in patientiâ custodire possumus, quia modicum adhuc restat, ubi tempus refrigerii adveniet, Act. 3, 20. ubi justum erit apud Deum, reddere iis, qui affligerunt nos afflictionem, nobis verò, qui tribulamur requiem, 2. Thess. 1, 6, 7.

III. *Summam viatoris calamitatem.* Descendit enim ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

Hoc dupliciter considerari potest.

I. *Literaliter.* Præter enim intentionem hoc ei accidit, rebus enim suis obeundis proficiscitur, justo tempore reverurus, sed in deserto Adunim, ut Hieronymus scribit, inter Hiericho & Hierusalem à Prædonibus invaditur, qui non modò despoliaverunt eum, sed ad mortem usq; vulnerarunt.

Hoc in dilectâ patriâ nostrâ, superiori bello non adeo infrequens fuit, quoniam gladius inimici in circuitu, Jer. 6, 25. At postquam alma pax restituta, viæ publicæ securiores sunt: interim tamen peregrinantes non planè in vado sunt, ideoq; precibus se devotis munire debent, semper enim maleferiati inveniuntur, qui sanguini insidiantur, Prov. 1, 11. quis igitur dicturus est: Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem? Jac. 4, v. 13. 14. 15.

2. *Spiritualiter.* Veteres enim Ecclesiæ Doctores parabolam hanc exponunt de tristissimo Protoplastorum lapsu. Hos enim reliquit Deus in manu consilii sui, apposuitq; illis vitam & mortem, ut ad quod voluerint, porrigerent manum suam, Sir. 15, 14. sed per serpentem decepti sunt, & ab Hierusalem in Hiericho descenderunt, h. e. mandato divino neglecto, comederunt de ligno de quo iis Deus præceperat, ne comederent, Gen. 3, 17. Hoc ipso, illi, & nos cum eis infernales latrones incidimus, qui nobis non modo vestem imaginis divinæ exuerunt, de qua Paulus ait, quod constiterit in justitiâ & sanctitate, Eph. 4, 24. sed sauciaverunt quoque nostra corda per malitiam, intellectum per ignorantiam, voluntatem per inobedientiam, ut jam nihil boni habitet in carne nostrâ, Rom. 7, 18. sed omne figmentum cordis nostri malum sit omnibus diebus, Gen. 6, 5. In hæc miseriâ semivivos nos reliquerunt, & abierunt. Hinc est, quod licet homo, naturali vitâ præditus, munia sua in temporalibus obire possit, nihil tamen in spiritualibus valeat, sed in peccatis mortuus sit, Eph. 2, 4. non idoneus ex seipso, velut ex seipso quicquam cogitare, 2. Cor. 3, 5. Nisi Deus per spiritum suum sanctum operetur & velle & perficere, Phil. 2, 3.

Hic velim probes te, mi Christiane! utrum hanc naturæ tuæ corruptionem unquam rectè agnoveris, de eaq̄ serio dolueris?

O quam multi reperiuntur, qui apud semetiplos prudentes sunt, Rom. 12, 17. ideoque preces negligunt, omnia viribus suis metientes. Quid mirum igitur quod omnia adverso Marte gerant, ut dici de eis possit: Dilexit maledictionē & veniet ei, Pl. 109, 18.

Veri Christiani omnia, quæ faciunt in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi faciant, Col. 3, 17.

A Jove fac orfium, ne serpens det tibi morsum.

Cor hominis disponit viam suā, sed Domini est, dirigere gressus ejus, Prov. 16, 9.

O quam multi quoque sunt, qui spiritualem miseriam non sentiunt, in quamper tristem Protoplastorū lapsum incidimus. Licet enim de notitia nostri subinde prædicetur, & ut juxta Decalogū nos ipsos probeamus injungatur, tamen multi putant, se non adeo malos esse, quales in concionibus delineantur, sed sibi ipsi blandiuntur, & sic nunquam ad notitiam sui perveniunt. Sed sibi ipsis incommodant.

Nisi enim naturæ nostræ depravationem rectè expenderimus, quomodo ad spiritualem regenerationem pervenimus, sine quâ tamen nemo regnum Dei videre potest, Joh. 3, 3. Quin renati quoque non planè exenti hinc sunt, sed queri tenentur: Scio quod in me, h. e. in carne meâ non habitat bonum, Rom. 7, v. 18.

Ideo securitati nos non trademus, sed Lothi meminerimus, qui Sodomis egressus, & extra periculum se constitutum existimans, à Diabolo seductus, incestum cum filiabus suis commisit, Gen. 19, 33. Sic adhuc se res habet, ut nihil metuentibus nobis pe-

riculum quàm proximè instet. Beatus verò qui semper est avidus, Prov. 28, 14.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad alteram partem *Ἐπίγνωσις*, sive notitiam Domini nostri Jesu Christi contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam unicus cunctorum beatorum.* Ideo sub exordium Evangelii ait: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, eoque & corporalem & spiritualem visionem intelligit. Sicut *ex opposito* apparet, ubi Regum & Prophetarum V. T. meminit, eosque idem non vidisse, asseverat. Spiritualiter & illi Christum viderant, siquidem expressè Servator de Abrahamo dicit, quod viderit diem suum, & gavifus fuerit, Joh. 8, 56. Sed Apostoli hanc gratiam à Deo impetrarunt, quod *Christum & oculis corporis & fidei conspexerint*, & hoc respectu quoque beatiore de prædicandi sunt, quàm Patriarchæ V. T. Inter eâ Christus fundamentum est, in quo beatitudo, tam in V. quàm N. T. fundatur. Christus Jesus enim heri & hodie, idemque etiam in secula, Hebr. 13, 8.

Errant igitur, qui summum suum bonum querunt:

1. *In mundi gloriâ*, quæ nihil aliud est, quàm *πολλὴ φαντασία*, Act. 25, v. 23. & velut umbra transit, Sap. 5, 9. Ideoque gloria illa neminem beare potest. Abibit ad progeniem patrum suorum, & usque in æternum non videbit lucem, Psal. 49, 20.

2. *In divitiarum copiâ*, quod putant aurum robur suum, & obrizo dicunt: Fiducia mea, Job. 31, 24. Non enim in abundantia cujusquam vita ejus est, Luc. 12, 15. Ergo nec beari potest à copiis suis. Potius Pauli illud locum habet: Qui volunt divites fieri, inci-

incidunt in tentationem, 1. Tim. 6. v. 9.
3. *In vita luxuria.* Væ enim illis, qui confurgunt manè ad ebrietatem sectandam, Esa. 5. v. 11. 12. 13.

Breviter: Quocunq; vertimus nos, nihil est, nisi vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Eccl. 1. 2. Ideò inquit Paulus: Hoc dico fratres: Tempus breve est. Reliquum est &c. 1. Cor. 7. v. 29. 30. 31.

Qui verò in Christum credit, & per fidem discipulus ejus factus est, simul quoq; fidem suam per opera probat, tum erga Deum, tum erga proximum, & in verâ pietate perseverat, is adhuc hodie æque beatus, ac Apostoli deprædicandus est,

1. *In vita moderna,* quamvis enim ærumnæ & tribulationes non deficient: tamen scimus, quod Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum, Rom. 8. 28. sicut igitur Philippus Rex Macedonia Deo gratias egit, non modò propterea quod filius Alexander sibi natus esset sed & quod tempore Aristotelis lucem aspexerit, à quo in bonis disciplinis & virtute informari potuerit: Sic multò magis nos causam habemus, Deo gratias ex animo agendi, quod nos eo tempore nasci voluerit, ubi verbum ejus purè & sincerè, sine hominum adinventioibus prædicatur. A Domino factum est istud, & mirabile in oculis nostris Psal. 118. v. 23.

2. *In vita æterna,* ubi Deum à facie ad faciem videbimus, 1. Cor. 13. 12. Cum discipuli Christi ad Emaus proficiscerentur, Dominum etiam videbant: at oculi illorum tenebantur, ne illum agnoscerent, Luc. 24. v. 16. At ibi non modò Regem in decore suo videbunt oculi nostri, Esa. 33. 17. sed omnes quoque cognoscemus eum, à minimo usque ad maximum, Jer. 31. v. 34. &

vocem amabilem audiemus: Venite benedicti Patris mei, Matth. 25. v. 34. Id tam gratum erit auribus nostris, ut omnium miseriarum nostrarum obliti, ovantes cantaturi simus:

-- Vincit præsentia fatum.

Hic non est finis præsentiarum ejus, Esa. 2. vers. 7.

II. *Tanquam legis Mosaica confirmator.* Scribam enim se tentantem, ad legem ablegat, eumq; dextrè respondentem, his verbis instruit: Fac hæc & vives.

Hoc simplicioribus mirum videri possit, quod Christus eum, qui de salute quærit, ad legem relegat, cum tamen lex data non sit, quæ possit vivificare, Gal. 3. v. 21. Sed rectè ponderanda est responsio Christi: respondit enim stulto ad stultitiam, ut Salomo ait, Prov. 26. v. 5.

Scriba hic non quæsit, quæ via est salutis? secus enim Christus ei responsum dedisset, quale Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, Joh. 3. v. 16. Aut ut Thomæ respondit: Ego sum via, veritas & vita, Joh. 14. v. 6.

Quia verò hic nasciturulus *de faciendo* quærit, & vitam æternam non secundum gratiam, sed secundum debitum consequi vult, Rom. 4. 4. ideo Christus responsum suum ad quæstionem ejus accommodat, ut eum ad notitiam sui perducatur, & intimæ naturæ corruptione ob oculos ponat, ratione cujus legem perfectè implere non possimus, est n. jugum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare valemus, Act. 15. 10. Joh. 7. 19.

Neq; verò hic existimandum est, quod Christus hoc ipso legem inutilè censeat, aut ex Ecclesiâ exterminatam eat. Minime. Lex bona est, & posset homini vitâ dare, si perfectè eam impleret. Quia verò nullus homo

repe-

reperitur, qui id præstare possit, ideo Christus legi se subiecit, eamq; usq; ad minimum apicem implevit, Matth. 5, 17. Sic lex tanquam pædagogus noster nos ad Christum manuducit, ut ex fide justificemur, Gal. 3, v. 24. Rom. 10, v. 4.

Notentur hæc

1. *Ad correctionem*, ne viribus nostris ascribamus, quod legem Dei perfectè servare possimus. Omnis enim iustitia nostra, est sicut pannus menstruatus, Es. 64, 6. Et cum fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis, dicamus: Servi inutiles sumus, Luc. 17, 10. & gratiam Dei imploremus, dicentes: Domine, ne intres in iudicium cum servo tuo, Psal. 143, v. 2.

2. *Ad instructionem*. Quamvis enim iustitia non veniat ex lege, quia eam perfectè implere nequimus, non tamen propterea planè exterminari debet, sed vitam nostram, pro gratiâ, quæ in nobis est, ad eam componamus. Sic luceat lux nostra coram hominibus, Matth. 5, 16. Licet per opera bona salvari non possimus, tamen per mala opera damnari possumus, Gal. 5.

3. *Ad erectionem*. Si lex condemnationem tibi minatur, responde tu: Reconciliati Deo sumus per mortem filii ejus, Rom. 5, v. 10. Hic cælum duplici jure possidet: primò *jure hereditario*, secundo *jure merito*, priori modo sibi vendicat, posteriori modo mihi communicat, Bernhardo asserente. Sic per fidem in Christum liberamur à maledictione legis, Gal. 3, 13. Rom. 4, 5.

III. *Tanquam generis humani reparator*. De infelici viatore audimus, quod postquã in latrones incidit, qui etiã despoliaverunt eum, & plagis impolitibus abierunt, semivivo relicto: Sacerdos & Levita præterierint, in miseria eundem relinquentes. Hoc ipso in-

dicatum est, nec legem nec sacrificia peccata expiare potuisse: solus Christus id fecit, qui per Samaritanum præfiguratur, non aliud enim sub cælo nomen datum est, in quo salvari possumus, Act. 4, 12.

Samaritanus iter fecit per viam, ubi vulneratus jacuit: Sic totus mundus plenus infirmorum erat, ideo Christus viam hanc ingressus est, quærere & salvum facere, quod perierat, Luc. 19, v. 10.

Samaritanus misericordiã vulnerati motus est. Sic & Christus commiseratione miserie nostræ affectus est. Non n. delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3, 22.

Samaritanus appropinquans alligavit sancti vulnera, & in diversorium duxit, & curam ejus egit. Sic & Christus nobis appropinquavit, dum nobis fratribus suis per omnia ad similitudinem est, excepto peccato, Heb. 2, 27. & per vulnera sua nostra vulnera sanavit, El. 53, 5. Ideò ait Bernhardus: *Nil tam efficax est, ad curanda conscientia vulnera, quam vulnerum Christi recordatio sedula*, quod in diversorio ecclesiæ quotidie inculcatur, ideo Christo acceptum referamus oportet, quod huc nos perduxerit, velut in spirituale *versorium*, in quo omnia instructa sunt, quæ ad curationem animæ pertinent. Primò enim adhibetur *vinum*, h. e. conciones legis, quibus vulnera renovantur, ut sensum peccatorum in conscientia deprehendamus. Deinde *Oleum Evangelii*, quod dolores lenificat, ut ossa exultent contrita, Ps. 51, v. 10.

Samaritanus alter à die egrediens, protulit duos denarios, & dedit hospiti, & ait: Curam illius habe, & quodcunq; præterea in sumferis, ego cum rediero, reddam tibi.

Christus similiter cælum adscensurus, *Hospiti*, h. e. *Ecclesiæ ministris* duos denarios reli-

reliquit, *verbum* nimir, & *sacramenta*, quibus ad terrorem impenitentium, & consolationem fidelium & corde contritorum uti debent. Id quoq; fideliter remuneratum se promisit, Pl. 61, 6. Hinc ipse ait: Electi mei non laborabunt frustra, Ef. 65, 23. Et Christus ait: Merces vestra copiosa erit in cœlis, Matth. 5, v. 12.

Nos gratias Deo agere debemus, pro spirituali hâc animæ curatione, & honorare medicum conveniētibus donariis, Sir. 38, 1.

studentes, ne recidivam patiamur. Ecce, sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi quid contingat, Joh. 5, 10.

Hoc nobis dictum putemus. Postquam enim effugerunt coinquinationes mundi, in cognitione Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, & c. 2. Petr. 2 v. 20.

Rogamus cœlestem Samaritanum nostrum, ut nos ab omni infirmitate liberet, & in restitutâ sanctitate conservare dignetur, Amen.

Dominica XIV. post Trinitatis.

Evangelium Luc. 17. v. 11. --- 19.

EXORDIUM.

Prescripsit Deus olim Israëlitis peculiarem ritû, mundandi & expiandi leproso. Nempè, qui purificabatur, duas aves mundas, quibus Israëlitis vesci licuit, afferre tenebatur, unam immolandam in vase fictili, super aquas viventes: aliam autem vivam, cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, tingendam in sanguine passeris immolati; quo adspargere oportuit eum, qui mundandus erat septies. Quando hoc ita factum erat, dimittenda erat avis viva, ut avolaret in agrum. Quò indicatû fuit, hominem leprosum, nunc perfectè liberatum, hominem commercio frui posse, Lev. 14, v. 1, seqq.

In prælecto Evangelio, Servatorem decem Leprosos simul mundasse audimus, sed non adhibitis ceremoniis illis, quæ in V. T. usitatae fuerunt. Ille enim jam præsens aderat, quem ceremoniæ hæc præfigurarunt, ratione spiritualis purgationis peccatorum nostrorum, quam facturus erat per seipsum Hebr. 1, v. 3.

Nos omnes spirituali peccatorum leprâ

infecti sumus. Nemo dicere poterit: Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prov. 20, v. 9. Omne enim figmentum cogitationum cordis nostri tantummodo malû est, omnibus diebus, Gen. 6, 5, c. 8, 21.

Sed per Christum restituti sumus, qui languores nostros tulit, & dolores nostros portavit, ut livore ejus sanati simus, Ef. 5, 3, 5.

Id Deus adumbrare voluit per *aves mundas*, quas leprosi ad mundationem suam afferre tenebantur.

Altera, quæ immolata fuit, significat crucentum illud Christi sacrificium, quod velut agnus immaculatus præstitit pro peccatis totius mundi, 1. Joh. 2, 2.

Altera, quæ dimissa fuit, significat liberationem animæ, quæ sanguine Christi purificata, viva in cœlum avolat, ad spiritus justorum perfectorum, Heb. 12, 23, & ita particeps fit in partem fortis sanctorum, in lamine, Col. 1, 12.

Flabrum verò quod Sacerdoti conficiendum fuit, ex ligno cedrino, & cocco & hyssopo, imago est sacri Ministerii, per quod

T t

Spi-